

Sed & singularium, ut acutè disputat *Scaliger, exerc. 307. sect. 16.* tamen est universalium principaliter. Proinde cum Aristoteles scientiam (videl. principaliter dictam) sibi proposuerit finem in hâc doctrinâ, meretur excusationem. Quòd autem syllogismus proprius detur in omnibus figuris, non solum in tertiâ, probatur inductione exemplorum. *In primâ figurâ sic formatur*: Messias est iudex vivorum & mortuorum. Jesus Nazarenus est Messias. Ergò Jesus Nazarenus est iudex vivorum & mortuorum. Item: Qui ex Mariâ virgine natus est, is est filius Dei altissimi. Jesus Nazarenus ex Mariâ virgine natus est. Ergò est filius Dei altissimi. Item: Nulla bestia est rationalis. Bucephalus est bestia. Ergò non est rationalis. *In figurâ secundâ hoc modo*: Messias tollit peccata mundi. Johannes Baptista non tollit peccata mundi. Ergò Johannes Baptista non est Messias. Item: Judas Iscariotes non docuit Evangelium post Christi resurrectionem. Judas author epistolæ canonicæ docuit Evangelium post Christi resurrectionem. Ergò Judas author epistolæ canonicæ non est Judas Iscariotes. *In tertiâ figurâ hoc modo*: Qui ex Mariâ virgine natus fuit, est filius Dei altissimi. Qui ex Mariâ virgine natus fuit, est Jesus Nazarenus. Ergò Jesus Nazarenus est filius Dei altissimi. Item: Caput Ecclesiæ catholicæ, est verus Messias. Caput Ecclesiæ catholicæ est Christus. Ergò Christus est verus Messias. Cæterùm hâc doctrina de syllogismo proprio opus est iudicibus, qui tractant causas singulares; item medicis, qui occupantur circa morbos singulares. Ne quid hîc dicam de explicatione doctrinæ Christianæ; quæ Aristoteli fuit ignota.

2 *Ex duabus singularibus propositionibus non elicitur particularis laxior in materiâ contingenti.*

Oportet enim conclusionis essentiam virtute præmissarum contineri. Itaque non valet illatio: Aristoteles fuit philosophus. Et idem fuit ethnicus. Ergò quidam ethnici sunt philosophi. Sed hæc: Ergò quidam ethnicus fuit philosophus. Maxima siquidem differentia est inter particularem

Ee 4